



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Conciliabvlvm Romanvm, Qvo Per Leonem Antipapam, Et Sedis  
apostolicae inuasorem schismaticum, Benedictus papa V. exauctoratur, &  
Hamburgum relegatur anno Domini DCCCCLXIV. sub Ottone & Nicephoro

...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

constitutiones decernuntur. Quibus peractis discessit ab Vrbe imperator; sed Dei vindicis poenam non euasit: nam ob sacrilegium quod hac in re commiserat, tanta exercitum eius, ut habet appendix Reginonis, pestis & mortalitas inuasit, ut vix sanus quis a mane usque ad vesperam, & a vespera usque ad mane se victurum speraret.

Benedictus  
martyr.

Benedictus  
a quibus-  
dam chrono-  
graphis  
e numero  
pontificum  
male eximi-  
tur.

Benedictus obiit in exilio anno Domini 965. titulo ac honore martyrii condecoratus instar Pontiani & Martini pontificum, qui ob gloriosam Christi confessionem pro nomine eius exilium aliasque iniurias ac contumelias sustinuerunt. Offsa eiusdem Benedicti, Ditmaro apud Reginonem attestante, Romam relata fuerunt. Hunc scriptorum alii velut iniuste intrusum omittunt, alii Leoni schismatico & antipapae eumdem anteponunt; sed utramlibet harum sententiam tuentes falluntur. Nam ex iis quae supra dixi manifeste constat, Leonem nunquam nisi pseudopontificem & antipapam fuisse, indignum qui nomine pontificio condecoratus in numerum eorumdem referatur.

## CONCILIABVLVM ROMANVM,

*QVO PER LEONEM ANTIPAPAM, ET SEDIS  
apostolicae inuasorem schismaticum, Benedictus papa V. exau-  
ditoratur, & Hamburgum relegatur anno Domini DCCCCLXIV.  
sub Ottone & Nicephoro Phoca imperatoribus.*

Luitprand.  
lib. 6. c. 11.

R E SIDENTIBVS itaque domino Leone summo & uniuersali papa in ecclesia Lateranensi, nec non & imperatore sanctissimo Ottone, & episcopis Romanis, Italicis, a Lotharingia & Saxonia archiepiscopis, presbyteris, diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina superius adscribuntur, aduenit Benedictus apostolicae sedis inuasor, eorum qui se elegerant manibus adductus, pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus cardinalis archidiaconus tali est sermone aggressus: Qua tibi auctoritate, quave lege, o inuasor, haec pontificalia indumenta usurpasti, superstite hoc praesente domino nostro venerabili papa Leone, quem tu nobiscum, accusato & repro-

ANNO  
CHRISTI  
964

ANNO CHRISTI  
964. bato Ioanne, ad apostolatus culmen elegisti? Num inficiari potes, præsenti domino imperatori iuramento promisisse, nunquam te cum ceteris Romanis papam electurum, aut ordinaturum, absque illius filiique sui regis Ottonis consensu?

Benedictus respondit: Si quid peccavi, miseremini mei. Tunc imperator, effusis lacrymis, quam misericors esset ostendens, rogauit Synodum, ne Benedicto præiudicium fieret: si vellet, & posset, ad interrogata responderet; quod si non posset, aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inueniret. Quo auditio, ad domini Leonis papæ pedes, ipsiusque imperatoris idem Benedictus concite procidens, se peccasse, sequæ sanctæ Romanæ sedis inuasorē esse acclamauit. Post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cum pontificali ferula, quam manu gestabat, domino papæ Leoni reddidit: quam ferulam idem papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terra sedere præcepit: cui casulam, quam planetam vocant, cum stola pariter abstulit. Post autem omnibus episcopis dixit: Benedictum sanctæ & apostolicae sedis Romanæ inuasorem omni pontificatus & presbyteratus honore priuamus: ob eleemosynam vero domini imperatoris Ottonis, cuius sumus opera in sedem debitam restituti, diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non iam Romæ, sed in exilium destinamus.

Benedictus  
papa exau-  
ctoratur.

## NOTA.

<sup>a</sup> Conciliabulum.] Hæc acta extant libro 6. capite II. illius auctoris, qui Luitprandus male inscribitur, quique, vt anterioribus capitibus in Ioannem XII. ita & multo magis in Benedictum se iniquum ostendit, & plusquam oportebat (vt testantur scriptores Germanie) Ottoni fauit. Non tantum ipse grauiter errauit, verum etiam aliis errandi viam satis amplam aperuit, viuificans, vt ait propheta, eos qui non viuunt, & interficiens qui non moriuntur; dum quos iudicare non potuit Synodus condemnatos abiicit, & quem alio viuente ipsa eligere non potuit, nec debuit, Leonem VIII. velut legitimum collendum exhibuit. Apud Gratianum inconsiderate nimis hæc alia que his similia tractantem distinctione 63. sub nomine & titulo huius Pseudosynodi Romanæ Canon 23. reperitur, quo profitetur Leo pseudopapa octauus eius nominis, se de electione Romanorum pontificum, aliorumque episcoporum imperii, idem ius eamdemque po-

An Luit-  
prandus  
huius Con-  
cillii acta vi-  
derit, & v-  
sus eis fue-  
rit.

Ezech. 13.

Q. iiij

Ius eligendi  
episcopos  
Germanie  
nullus pon-  
tifax Caro-  
lo vel Otto-  
ni magno  
concessit.

testatem Ottoni imperatori concedere, quam facultatem Hadrianus secundus Carolo imperatori olim per priuilegium attribuerat. Sed cum supra in notis ad vitam Hadriani II. copiose ostenderim, totum illud quod de iure eligendi & inuestiendi episcopos Carolo imperatori concessio Sigebertus in gratiam Henrici imperatoris scripsit, fabulosum esse commentum. Iisdem rationibus detegitur impostura huius priuilegii, quod Gratianus per Leonem octauum Ottoni imperatori collatum suo more fabulatur. Cum enim ad exemplum Hadriani hanc gratiam imperatori a Leone fuisse concessam scribat, nihil illi collatum profitetur, quoniam Hadrianus, ut supra probavi, horum iurium nihil Carolo vñquam obtulit. Quæ si non sufficiant, addimus alia adhuc esse plura, quibus eadem constitutio manifestæ falsitatis arguitur. Primum illud, quod Otto iam supra a Ioanne XII. imperator consecratus, hic rex atque patricius constituantur; quasi cum imperio non fuerit eidem regia & patricia potestas concessa. Præterea quod illic in fine legitur, vt vltimo afficiatur suppicio, si quis eius constitutionis transgressor inueniatur; quantopere autem illud a Romanorum pontificum constitutionibus, quarum violatoribus irrogatur non poena mortis, sed anathematis dumtaxat, vel suspensionis, aliaque ecclesiastica' censura, abhorreat, quisquis harum pauculas legerit, facile intelliget. Addo ad extreum, etiam si hæc constitutio vere contigisset, nullius tamen roboris esset, quod non e legitimo papa, sed schismatico quodam pseudoleone & antipapa promulgata fuerit. Simili censura perstringatur illa constitutio Leonis VIII. apud Crantzii metropolim libro 4. cap. 10. recitata, qua profitetur ipse pseudopontifex se Ottoni imperatori restituere, quæcumque ipsum Romanum occidentale imperium antehac possedisset, atque ecclesiæ Romanæ donasset. Imposturam illius deteges, si promulgatae constitutionis tempus cum tempore aduentoris Ottonis in Vrbem conferas, & si nomina subscriptorum episcoporum, cum nominibus episcoporum eorum qui Romano Conciliabulo sub Ioanne XII. interfuerunt compares. Item ex eo commentitiam fuisse probaueris, quod profitatur se etiam restituere ea quæ Romana ecclesia dono acceperat a Iustiniano, qui Siluerii & Vigilii persecutor potius quam remunerator existens, ne vnam quidem glebam Romanae ecclesiæ contulisse alibi legitur. Sicut ergo præcedentes constitutiones probantur excogitatae & effictæ ab iis qui tempore schismatis ipsis schismaticis imperatoribus adhærebant, ita probable est, hanc constitutionem ab iisdem excogitatam esse. Sed Deo gratias, anno 964. ait Baronius, quod impostor insulsus, ineptus, stolidus talis extiterit, qui adeo affectata mendacia vestire nesciuit; sed opprobrio sempiterno nudata deridenda reliquit.

An Leo  
VIII.  
dona Ro-  
manæ ec-  
clesiæ col-  
lata resti-  
tuerit?